

QV. 248. 14

PX2045466

14

Z6
6850

Memoria Voti ac Carminis Proaviti Junckeriano-Gamici

Cui titulus :

In Nuptias Clarissimi VIRI D. D. **LAVRENTII HIEL** Vesaliensis
Medicinæ Professoris in Academia Jenenli &
Honestissimæ Virginis **GERTRUDÆ SCHRÖTERIN** Vinariensis
Epithalamium **ANTONII JUNCKERI** Walthershaufani 1561.

tinearum faucibus è Biblioth. Saxo-Gothana Famigeratissimi
Historici Saxonici DN. Wilh. Ernest. **TENZELII** curâ
erepti, ac ob literaturæ et Antiquitatis pretium,

cum jam laudati Excellentissimi VIRI
ANTONII JUNCKERI postmodum Philosoph. & Med. Doctoris
nec non Serenissimi Principis ac Dni, Dni **JOH. WILHELMI**
Ducis Saxo-Vinariensis ad emortualem usque annum 1572.

ARCHIATRI ac **MEDICI** fidissimi,
ex fratre Johanne honesto Cive & Mercat: Waltershusino **PRONEPOS**,
VIR Prænobilitis. Ampliss. atque Consultissimus DN.
CONRADUS IUNCKERUS Jur. Utr. Lic.

Dicast. Saxo-Jsennacensis Aulici Advocatus Ordinarius
ac Senator ejusd. Civitatis primarius, tertium Sponsus,
cum Nobilissimâ Selectissimâque Virgine

ROSINA MARIA STIESSERIA

VIRI olim Per - Reverendi & c. M. **CAROLI HENRICI STIESSERI**
Pastoris in Gesdorff prope Hannoveram fidelissimi
Matronæque Honoratis: **MARIÆ** Brunsvicæ è stirpe **GLIEMERIA** natæ,
FILIA SPONSA : d. 26. Octobr. 1700. Jsennaci nuptias celebraret,
Votò adjectò in inchoatæ Affinitatis pignus iterum Typis

renovati

abs

NICOLAO GLASERO Sunthusino. Jur: Stud: & Pract. Walterssh.

ARNSTADIAE
Cassiterò Bachmannianò.





Tempus erat lætos quo lætior ipse subibat
Tyndaridas Titan, hyemis pertæsus & undæ
Æquoreæ oppositus nobis qua cingitur orbis.
Omnipotens genitor tonitru stipatus & imbre
Conjugis in gremium terræ descenderat æther,
Fætibus ut tencriis semen genitale ministrans

Redderet antiquo, quod cernis ubique, vigori.
Inde sinus Zephyri constrictos frigore laxant,
Inde etiam picto vestitur gramine campus,
Inde comæ arboribus redeunt, & vitibus, inde
Omne genus pecudum lætatur & omne volucrum.
Imprimis dulci Philomelæ carmine sylvæ
Jam resonant, alias anteuntis voce, volucres.
HIS EGO TEMPORIBUS piscosi ad flumina Salæ
EXPATIOR CARPENSQUE viam per florida prata
CONTINGO MONTIS radicem forte PROPINQUI
Accola conveniens cui nomen turba SERENO.*
Indidit, ante alios quoniam caput extulit omnes,
Non illum Phœbi radiantis deficit unquam
Gratia, quæ largo fœcundat lumine terram,
Ut juga felici lætentur pinguis fœtu.
Non alibi surgunt variæ numerosius herbæ

Diver-

* Desc. Lauterbergis circa quem forsitan Antor Halle Saxonyum tum temporis commemoratus fuit A. 1561.

Diversis faciles morborum occurrere causis
 Et vires regere & quoque custodire salutem.
 Massica luxuriant fundentes munera vites
 Quales Ausonium dicas vestire Taburnum
 Aut quas læta colit felici Rhetia campo.
 Plaudit & alma Ceres circum & radicibus imis
 Aruales aspergit opes, lætissima farra.
 Hæc juga conscensu supero, juvat omnia latè
 Lustrare & plantas rimari arbustaque cuncta.
 Ecce autem emensus medium cum pene viderer
 Montem, non prius auditus mihi personat aures
 Conventus, qui cum nequaquam in gutture natus
 Esse videretur mortali, gaudeo adire,
 Atque quis integret tam lætum inquirere carmen.
 Una sed ante alios duxit me semita calles
 Quam sequor & sacra sic tandem provolvor ad antra
 Antra quibus nigrum multa nemus accubat umbra.
 Hic, quod adhuc nunquam mihi contigit ante Novenæ
 Antra per ipsa mihi sunt visæ errare sorores,
 sisto timore gradum, nec jam vestigia retro
 pes legit, attonitus spacio sed figitur uno.
 Tum qui uirginæ turbæ comes ibat Apollo
 Solvere corda metu monet, & modulata notare
 Carmina corticibus, JENAMQUE REFERRE NOTATA *Ergò iam*
 Ergo licet non exciderant mihi pauca (pusillo *temporis Je-*
 Namque quis excipiat momento talia) rite *ne absuit Aut.*
 Sunt tamen in memori mihi pleraque mente reposita.
 Scilicet his primum solvebat Apollo loquelis
 Aurea, quercibus atque feris mirantibus, ora.

APOLLO.

Sed satis hæc longo sunt condita carmine fata,
 Quæ nostræ vexant docta Lycæa scholæ.

Fortiter insequitur quæ nos fortuna ferenda est,
 Illa cito finem namque habitura suum,
 Nunc quia nos fas est elidi corda dolore,
 Gaudia sed versa sunt capienda vice,
 Cumque paret tædas jam concelebrare jugales,
 Qui sibi Pœonia vix habet arte parem
 Doctor Hiel cui Doctoris soror ipsa Schroteri
 Legitimo veniet consocianda toro
 Illius quoque nos lætemus nominè lætum
 Cantantes cithara liberiore melos.
 Ipsius hoc poscit studiumque laborque dicatus
 Namque Machaoniis artibus usque fuit,
 Quæque prius, didicit vel longo comperit usu
 Pubem Sala tuam non sine fruge docet.
 Præterea nihil est cantari dignius, aut quod
 Supremo cordi plus queat esse Deo.
 Quam si (vera loquor) socialis foedera lecti
 Quamodocunque licet laude & honore vehas.
 Vos igitur summo natæ genitore sorores,
 Carmina tam docto ludite digna Viro,
 Atque novæ nuptæ per laudes ite, canentes
 Quam non vulgari sit fruitura viro,
 Hinc & conjugii causas narretis & istud
 Quid deceat vitæ dedebeatve genus
 Sic illis cornu fundantur divite cuncta,
 Sic illi cupiat parcere Parca toro.
 Dixerat, At Citharam CLIO mox cœpit amatam,
 Ordine quam sequitur cætera turba suo.

*Dispositio
 Carminis.*

1.
 2.
 3.
 4.

CLIO.

<p> I. Longinquas alii suscipiant vias, Et, quæ sub vario sole jacent petant Terras, notitiam quo capiant sibi Rerum nostra quibus climata non scatent. </p>	<p> <i>Tu, qui jam fueras tempore plurimo Emensus maris & terræ etiam satis, Ut mentem medica rite scientia Instructus generi terricolûm citas Posses.</i> </p>
--	---

Posses ferre tuo suppetias loco,
Tu nunc oia, Tu carpito gaudia
Quæ Gertruda tibi nunc pariet tua,
Dum te cordifluis ipsamet ignibus
Complectens faciet vivere ne velis
Solutus, sed vale jam dicere cælibi
Vitæ. Tu Cypriæ tradito virgini
Victas ne Veneris non puero man9,
Ut fixisse suis pectora spiculis

Et flammæ tacitis subjicere ossibus
Amborum valeant. Sic socio tibi
Hæc Gertruda avibus juncto bonis
toto
Optatam properè læticiam ferat,
Et tecum fragilis curriculum exigat
Vitæ, sitq; tibi rebus in omnibus
Solamen. Bona sic omnia virgula
Divina superi suppeditent precor.

THALIA.

Qualis purpureo micans olympo
Stellas Hesperus extat inter omnes,
Quales purpureæ vigent in hortis
Ridentes alias rosæ inter herbas:
Talis casta tuus virago Sponsus
Inter tot juvenes renidet Unus,
Annis integer eruditione,
Et virtute, pio DEIq; cultu.
Et candore simul modestiaq;
Et fama quoq; nemini secundus.
Humani fabricam satis stupendam
Callet corporis, Hoc enim frequen-

ter
Subjectum medicæ vocatur artis.
Hujus quomodo quispiam tueri
Possit tempus in omne sanitatem,
Hujus quomodo quispiam tenaces
A membris valeat fugare morbos.
Novit, nec quibus hoc agatur ar-

mis
Ignorat. Liceat mihi per ævum
Tam prudente simulque perspicaci
Uti posse viro, misella tristi.

Hæc morbo populante forte mem-
bra.

Quare cum potiare tam celebri
O felix Geretruda Sponfa Sponso,
Cur non conciperes cito profundos
Quæ tentare tui sinus valerent
Cordis gaudia? Si talenta fulvi
Dono multa cui ferantur auri.
Letari merito putetur: At non
Aurum non aliud quod aut Vetustas
Ant vermes abolere fortè possent
Donarunt superi, perennitatem
Sed famæ tibi contulere. Namque
Dum nomen socii tui piorum
Per diversa hominum feretur ora
Dignis tu quoq; laudibus vehere
Magno quod fueris potita Hiele.
Ergo læticiam metu remoto
Jam deprome, nihil requirit istud
Tempus tristitiæ, jocos requirit
Et convivia cantica, atque saltus.
Sic annos superes piæ Sybillæ,
Sic seros videas precor nepotes.

EUTER-

EUTERPE.

Prodi Sponse DEO doctis & care Camænis
Dat turba læta sonum.
Prodi namque tibi tibi juncta virago propinquans
Per fora carpit iter,
Illa gerit manibus viridem libanotida, ut inde
Florida ferta tuo
Concinnet capiti. flavæ quibus impediuntur
Hac tibi luce comæ.
Prodi templa petens ibi Sacramenta sacerdos
Conjugii meditans
Sanciet, Hic niveas decet, ut testentur amorem,
Rite coire manus.
Aspice quam densus sponsam comitetur ovantem
Et sine labe chorus.
Hic tum ex multis præstanti corpore Nymphis
In grege Virgineo
Non nisi sola tibi Gertruda probatur, Et ipsa,
Cur tibi ametur habet.
Nam sapiente fuit fata de genitore Schrotero,
et genitrice pia.
Quid referam fratrem nulla non laude vehendum
Et sine fraude Virum,
Per quem præcipue Salana hæc ocia nobis
Parta fuisse patet?
Ille DEus nobis fuit, ille vocabitur olim
Post sua DEus.
Ad sponsam sponsam redeo fidei quæ religioso
Dogmata corde tenet,
Hinc novit quid sit DEus & quid certa voluntas
Jussa que Sancta DEI.
Illa etiam didicit tua qua ratione via que
Sit moderanda domus,

Adde

Adde quod intemerata manens, viget ipsa probatae
Laude pudicitiae,
Scilicet hoc solum praeconia magna meretur,
Hoc quod ametur erat.
Verum non animi nova nupta est dotibus almis
Conspicienda modo,
Sed commendat eam nitidum quoque corpus, & ipsa,
Non leve forma decus.
Aspice purpureus faciem Gesalinus oberrat
Vestit & ora rubor,
Ipsius ex oculis occendit spicula Hieli
Grata cupido suo.
Splendidior num sit dubitares crinis an aurum,
Vestis, an ipsa cutis.
Quid bene compositos memorem teretesque lacertos
Collaque sparsa comis?
Anteit illa nives candore, simulque ruboris
Nobilitate rosas.
Gratulor ergo tibi talem pie sponse maritam,
Et bona cuncta precor.
Nestorios vivat vivat tecum illa per annos
Lite vacetque torus
Sic minaturas vobis inferre negabit
Mors truculenta manus!

TERPSICHORE.

Tu quoque Salanis addicta juvena lyceis
Latis adesto cordibus tristia cuncta cavens,
Nam quia doctori jam sunt sua gaudia nostro
Tradente quo cognoscimus nec sine fruge quidem
Praonias vitae mortalis praesidia artes
Te voce lata jubilum jam quoque ferre decet.
Hoc ipsi cordi sponso sponsaeque futurum est,
Hoc candidi grati & simul pectoris instar erit.
Ite procul Lemures quas religiosa vetustas
Majo putabat nuptiis mense nocere sacris.

Sed

Se d potius Venus & Veneris puer ipse Cupido
(Spurcis vacantes ignibus) jam celerate gradum
Et sponsi nuptæque incendia blandâ medullis,
Flammasque, semper vividas subjicitote precor.
Sic amor illorum longos perduret in in annos
Concorde sic sic præditi pectore semper ovent.

ERATO.

Ille amat infelix qui lecti cunq̄ue jugalis
CASTIQUE CAUSAS NON amoris inspicit,
Ergo ut cognoscas in qua statione locatus
Sis sponse cum consorte Gertruda tua.
Fas mihi sit thalami causas cecinisse lugalis
Summum ferendo laudibus piis DEum.
Nempe statim caperet cum prima exordia mundus,
Formas rudi sumente diversas Chao,
Cum volucres magnum per inane, per æquora pisces,
Vastamq̄ue per terram vagarentur feræ,
Solutus adhuc deerat cunctis qui præsit, & à quo
Numen feratur laudibus piis, homo.
Mox hominem faciamus, ait sub numine trino
Simplex DEus numen, qui imago sit DEI.
Nec mora de gleba juvenem confixit inerte
Adame te totius orbis incolam
Utque foret sua quæ tibi gaudia partiretur
Rebusque promptam ferret in duris opem
Irrigat infessos dulcem tibi protinus artus
Somnum, levemque sumit inde costulam,
Sicq̄ue tuo lepidam de corpore fabricat Evam,
Firmoque jungit hanc tibi connubio,
Mandat & ut thalamum castum tuearis, & omnem
Replere mundum prole fœcunda velis
O quam talis erat dulcisque beataque vita,
Dum pura erat tetri vacansque criminis,

Tristi-

Tristibus at simul est colubri conspersa venenis
Oppressa multis est malorum millibus
Namque hunc carnifices malefano in corpore morbi
Vexant fames multos fatigat pallida
Illum autem ferro terret Bellona cruento
Bellona gaudens sanguine ac tumultibus,
Denique tot vicibus vix Euripæa tumescit
Aut in suum residit unda gurgitem.
Aurea conficitur tanto nec luna labore
Quantis premuntur conjuges molestiis.
Ergo DEUS fautor socialis & autor amoris
Existit, hicque conjuges castos fovet.
Hosque modis junctos licitis sobolescere mandat
Ut sancta colligatur ipsi Ecclesia
At Satanas & primorum peccata parentum,
Tam causa duræ sunt perennis & crucis
Sensibus hæc quisquis conjunx perpenderit imis
Vitam colet certe jugalem rectius.

CALLIOPE.

Utilem sumit quoque, crede nobis,
Et Diis gratum superis laborem
Quisquis AD QUEM SIT data querit usum
Vita lugalis.

Non enim frustra DEUS ipse mandat
Ut mari coniuncta pio Virago
Casta consveti celebrare pergat
Gaudia lecti.

Scilicet tali voluit probare
Maximus Divum pater ipse signo
Castitatis quod sit amans vagosque
Oderit ignes.

B

Et

Et via nunc continuos eadem
Dogmatum vult sufficere ministros
Hincq; fortiri patulum regentes
legibus orbem.

Adde quod divæ Cypriæ mederi
Possumus tali ratione flammis
Sicque custodire Deo probati
donapudoris.

Ergo foelix terque quaterque fines
Qui stupet castæ retinere tædæ
Huic Deus casti feret ampla semper
præmia amoris.

MELPOMENE.

Mens sine labe Deus Castos fovet atque tuetur
Impuros odit mens sine labe Deus.
Infans primum Deus undis perdidit orbem
Jura forent casti quod violata thori.
Non impune tulit Sodomorum terra quod illic
In Venerem rueret foemina virque vagam,
Nomine Troja fuit celebri & super æthera noto.
Neptuno curæ Cynthio & ipsa fuit,
Furta tamen Paridis propter blandissima tandem
Occidit & pœnas Marte subacta dedit
Quid quod Isâdes aliena cubilia scandens
Exutis sceptris imperioque fuit,
Nunc etiam Thebæ superarent ipsaque sparta
Staret & invito robore clare foret
Illicitæ pravos arcere libidinis usus
A thalamo castus si potuisset amor,
Ut vobis igitur cum tam sacra ritè coletis
Fædera pro votis optima quæque fluent,
Sic contra castos ubi transfilietis amores
Stat, nobis quâ sit pœna luenda, dies.

usta

Iusta Deus mens est libramque examine justo
Ire sinens castis dat bona conjugibus
Plectit at e contra genus atque extirpat eorum
Qui facibus foedant tam pia vincla vagis.

VRANIA.

His sponsa poenarum notis
Ex corde si doctissimo
Moueberis cum coniuge
Omni sacras fideliter
Tædas colendo tempore,
Septemplicis fausta omnia
Promittit orbis machina
Et si putatis credere
Diuæ peritæ Syderum
Non esse vanum aut impium
Prælonga uobis candido
Nent fila parce stamine.
Vestros benigne gratia
Diuina fortunet toros
Faxitque lapsis mensibus
Bis quinque possit ut parens
Vterque dicier pius.
Valete, longum uiuîte,
Castoque iuncti pectore,
Studete maximo optimo
Semper placere Numini.

POLYMNIA.

Protinus omnis
Mensare mota est,

Et sua posta
Meta choræis,

B 2

In

Ingruit alto
Vesper olympo,
Lunaque fratris
Jam uice fulget.
Intrat amatum
Sponsa cubile.
Dexter adesto
Nunc Hymenæe
Te vocat ipse
Sponsus, eiq;
Juncta marita.
Dexter adesto
Nunc Hymenæe
Mutua figunt
Basia amantes
Dexter adesto
Nunc Hymenæe
Sponsa fouetur

Jam sinu Hielis,
Cestus amoris
Fac liget illos
Sicque tenaci
Vinciat ambos
Copula in æuum,
Mens fit ut una in
Corpore bino
Quæ uelit atque
Nolit idem. Sic
Flore a semper
Serta feremus
Nostro Hymenæo
Dum feret altus
Sydera olympus,
Dum feret aer
Ipse volucres,
Dumque scatebit
Piscibus æquor.

HAEC bene si memini, phoebo mandante canebant
Musæ coniugio Numina læta tuo,
Illaq; sed nimium leuibus signata lituris,
Clare tuos iussi vir subiisse lares.

Accipe, qui grati sint cordis pignora, versus,
Fructus dum uidear gratus habebō fatis.
Sic tua fortunet confirmans optima cœpta
Qui regit & terras & mare & astra Deus.
Faxit is, ut uiuat nullum moriturus in æuum
Pectore in amborum qui modo flagrat amor,
Faxit is, æternos hæc fœdera sancta per annos
Durare, atq; datam non periisse fidem,
Faxit is, alterius quæ sunt, utriusq; uideri
Ut sortem alterius fataq; uterq; ferat,

*Apparet
hinc Doct.
Hielem fu-
isse Præce-
ptorem Au-
toris.*

Ceu

Ceu dilecta fuit docto Cornelia Graccho,
Euridicem Orpheus arsit ut ipse suam,
Sic quæcunq; vocat fors per discrimina vitæ
Sit tibi consortem cura fouere tuam,
Et quod magnanimo fuit olim Porcia Bruto
Hoc vir docte tibi sit tua nupta precor
Illius quoties flagrantia colla fovebis,
Aut in complexus irruet illa tuos,
Hæc toties mentem tibi dulcis imago subibit
Qua sponsam Christus nos ait esse suam.
Nam veluti Sponsus flammaram incendia sentit.
Dum libat sociæ basia blanda suæ,
Naturam sociam vero sic diligit igne
Filius æterni lux & imago patris,
Sidera qui linquens miserumq; illapsus in orbem
Indutus carnes ossaq; nostra fuit,
Proq; sua Sponsa pulchram per vulnera mortem
Oppetiit, patrio restituitq; polo.
Faxit is ut tecum fœlicis tempora vitæ
Exigat in læto Sponsa pudica toro.
Faxit is ut pulchra reddat te prole parentem
Cumæ tecum secula vatis agens.
Sic tua, dicetur fœlix Ecclesia Christi,
Parua quidem turpi, sed sine labe, domus.



Quum



Vum lecti Affinis, ter insigniris honore,
Inter tot casus docte tenere modum:
Magne VIR, ecce tui PROAVI, quod Fra-
ter, Hygees

Grande Decus, sumas, conglomeravit Epos.

Munus id antiquum tineæ pædore sepultum

Ne lateat, terfit pulvere, docta manus:

Quod si falsa Bonis distingues Vera profanis,
Materiae dispar non erit huicce Tuæ.

Fas erat, ut stirpis Proavumque salutis Amator
Antiquâ Voti proveherere prece;

Fas, Meyfartus Avus cecinit (†) cui dote priori,
Junckeridum Voti Te beet atque SALUS.

Hinc jam tergemino clarescens SPONSE jugali,
Affinis, trinâ sis Bonitate fatur.

Propatruj VOTUM (quoties dilecta Maritæ
Cordis, toties dulcis Imago Tuæ

Obveniat menti, quâ svavi nomine Sponsa
CHRISTI, quâ compar OS veniasque caro;

Pro quâ Salvator pulcrâ per vulnera mortem
Oppetiit patrio restituitque Polo,)

Imprimis valeat; pectus quia sanctior Icon
Nec melior Species exhilarare potest,

Cœlica quando prius mentis purgatio prostat
Et novus hic homo vult quod vetus ante nequit:

TUNC Tu dicetur felix Ecclesia Christi

Empta Cruore sui SPONSI adamata Domus.

Sic Tua mens, tua Costa, tui sic corporis Ara

Jam Paradisiacus fiet in Orbe POLUS.

(†) Resp. ad votivum circa primum conjugium Nobiliss. DN. SPONSI
Carmen Gamelium Meyfartinum, dictum, quo Avi ipsius materni M.
Michaelis Meyfarti votum nuptiale nepotis nuptiis typo renovabatur

1. Cor. 11. v. 21.

et 3.

Ephes. 5. v. 30.

Ephes. 5. 29.

Ne

Contrafoves

NE vacet pagina; in nostri Patrumque nostrorū Sospitatoris Dei ter
Omnipotentis gloriam hujus Doctoris Antonii memoria ex DN.
Affinis Joh. Georgii Junckeri Consulis et Advocati Urbis Patriæ Wal-
tershus: Carmine in mortem Avi Joh. Junckeri Consulis itid. ibid. cui
tit: Avita Junckerorum Johanneorum Salus, venit repetenda. Fuit
np. hic D. Antonius secundus ordine Stephani Junckeri ab anno 1569.
usque 1582. Consulis Walterssh: Primarii filius: natus anno 1539. ut
Winerus in Tumulis per Epitaphium ejus vitæ curriculum refert. Fra-
ter ejus primogenit⁹ fuit Johannes Civis & Mercator Pannorum Wal-
terssh. Qui, ubi ex Evâ Vockerodtiâ Johannem filium obsidione Go-
thaica 1567. susceperat, peste eodem anno obiit: Hic verò Joh. filius
Civis & Tribunus plebis (Gemeind Bormund) anno 1596. ex Anna
Volcarthiâ Salzungenfi anno 1597. produxit Johannē 3. qui per 51. an-
nos Senat. & Consulem Waltershusinum, hic, ex Susannâ sorore D. Joh.
Matth. Meyfarti Erfurt. Ecclesiaste procreavit (1.) Joh. Matthæum Jun-
ckerum Ict. Cancell. Hohenl. Ordru. Subst. Socerū meū honorandū (2.)
Conradū Jur. Utr. Lic. Adv. Aul. Jsn: jam ter Sponsum. D. Antonii alter
verò frater fuit Matthæus Juncker sen: ab A. 1582. usque 1618. Senat.
& Consul Walterssh: Qui ex Anna Thielonia DN. Joh. Thielonis ab
anno 1597. usque 1616. Senat. & Consulis Gothani Sorore suscepit (1.)
Matthæum jun: itidem ab A. 1618. usque 1654. Senat. & Consul Walterssh.
Patrem, Stephani Senat & Conf. Walterssh. ab A. 1672. usque 1692. (2.)
Johannē Phil. & Medicinæ Doctorem, Basileæ 1618 promotum, Schmal-
caldiæ Sulæ ac Sleusingæ Physicum atqve Professore Scriptis suis Me-
dicis famigeratissimum. Ipse verò D. Antonii Parens, Consul Ste-
phanus natus est 1512. Patre Conrado 1521. & 1527. Tribuno plebis (ge-
meind Bormund) Waltershusano, qui primus Junckerorum Walters-
husanorūcum fratre Vito itid. Waltershus. 1531. Tribuno plebis Proavo r.
M. Viti Junckeri ab. 1617. usque 1636, Past. Walvvinckelensis 2. Nicolai
Consulis & Senat. ab an. 1632. usq; 1668. qui Pater est Johannis Pastoris
ab an. 1658. hucusq; Fridstadiensis factus: amore Lutheri Mega Ep-
pingâ an. 1519. cumque conjuge ac liberis velut Abras ab Ure huc pe-
netravit & an. 1542. mortuus. Mater v. Antonii fuit Sophia Joh. Földneri
Consulis ab an. 1527. usque 1558. Walterssh. filiâ. Ab his Parentibus & Avis,
studiis mancipatus Antonius noster Gothæ Alumnus Gymnas. factus.
ut Cl. Wilkius Oratione 8. de Inaugur. Sch. Goth. refert eumque Illust.
Princ

Zb 6850 OK

Principis Joh. Wilh. Medicum fidissimum nominat simulque ipsius à Pontificiis in itinere Viennensi perpeffum qs. Martyrium commemorat. E Gothanâ Scholâ venit Jenam tempore foundationis Academicæ 1558. ubi D. Schröteri ejvsque Affinis D. Hielis Discipulus, Medico studio incubuit. Stadio Jenæ finito circa Montem Sereni, ut hoc carmen refert, forsan Hallæ Sax. praxis causa vixit. An. 1563. montemPessulanum Galliæ Academiã adiit, Wilh. Rodoletii, Anton. Saporæ & Laur. Jouberti Medicorum CL. factus Auditor. Hic D. Joh. Posthium nactus est Contubernalem, qui speciale ei propempticon Eleg. 5. an. 1566. adscripsit, quâ Venam Poëticam studiumque in re Medicâ ac inde relata ipsius ferta laurea præclarè effert, ubi notandi versus: affer

Et generi laudem delitiumque ~~ero~~,
Nec minus & Patriæ victurum in secula nomen,
Quæ Medico & Vate clara futura suo.

Hinc ante hujus Eleg. 5. dedicationem jam insignia Doctoralia adeptus est Valentia, in Galliæ Narbonensis Academiâ, ut Winerus in Epitaph. habet. Posthius v. anno seqv. 1567. itid. Valentia cum Elia Böttigerô promotore Jac. Fabro Doctoris titulo ornatus fuit. Ast D. Junckerus factus in patriam redux, & Vinariæ Archiater constitutus 1. Galliam 1568. mens. Mart. 2. Convent. Regenspurgensẽ 1570. mense Sept. quô Ducissa Joh. Frid. captivi d. 3. Octobr. Imp. Maximiliano de liberando marito supplex facta est, & 3. Viennam 1572. mens. Jun cum Seren. Principe Joh. Wilhelmo Archiater & Comes Lateris petiit. Et huc pertinet, quod Wilkius cit. orat. de propinato veneno refert.

Cæterum ob merita ipsi ad ingressum Sacristiæ templi Walters-hisani ad S. Mariæ erectum est Epitaphium lapideum, quod effigiem ejus ac versus à M. Christoph. Wienero elaboratos exhibet, de ipsius v. scriptis, ac ulteriori statu, utrum cælebs an conjugatus Vinariæ decesserit, nil certi liquet, quare B. Lector cui quid ex allatis constat, de facili communicatione jugiter rogatur. Et hæc de ipsius prosapia ac vitâ ex Winero, Wilkio, Posthio, MSS. Rebhanii, & abnepotis J. G. Junckeri, scriptis, pro dilucidatione carminis. hujus sufficiant,



1077

248.14

Memoria

In Nuptias Clarissimae

Honestissimae
Epithalamii

tinearum faucibus
Historici Sa

erepti,
cum

ANTONII JUNIORIS

nec non Serenissimi
Ducis Saxo-V

AR

ex fratre Johanne h

VIR Præno

CONRADUS

Dicast. Saxo

ac Senator

cum

ROBERTUS

VIRI olim Per

Pastoris in

Matronæque Honora

FILIA SPONSA

Votò adjectò i

NICOLAO GLAUCO

Joaviti

L. Vesaliensis
nli &

Vinariensis
aufani 1561.

geratissimi
II curâ

m,

d. Doctoris

HELMICH

im 1572.

PRONEPOS,

DN.

ic.

dinarius

onfus,

STIESSER

timi

EMERIA natæ,

elebraret.

Typis

Et. Walterssh.

Z6
6850

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

